





DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> MEDICA  
DE  
VARIOLARUM MORBO  
QUAM  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU  
IN ALMA ARGENTORATENS<sup>I</sup>UM UNIVERSITATE  
*PRO LXX CEN<sup>TA</sup>RA*  
GRADUM DOCTORIS  
RITE OBTINENDI  
D. XV. SEPTEMBRIS A. R. S. MDCCCLXXXIV.  
PUBLIC E DEFENDET  
GABRIEL TITON  
DOLANUS.  
H. L. Q. G.

---

ARGENTORATI, Typis JOH. HENRICI HEITZII, Univ. Typogr.







## PROÆMIUM.

**E**x magno morborum numero, quibus infestatur genus humanum, vix alias majorem in illud, potissimum vero innocentissimum parvulorum in gregem, exercere solet tyrannidem, quam truculentus variolarum morbus. Hic enim, ubi semel eidem radices figere datum est, tam ferales edit strages, ut peste ipsa perniciöfior habendus sit *a*). Nulli parcit ætati, nulli sexui, nulli temperamento, atque in Suecia (sine dubio etiam alibi) ex centum, qui nascuntur, infantibus decem *b*) hoc morbo interire dicuntur. Morbum itaque generis humani multiplicationi adeo contrarium in specimine hoc inaugurali, quantum id temporis angustia, arctique Dissertationis limites permittent, pro tenui ingenii modulo explanare animus est; nec, licet hac super re tot egregia prostent scripta, quibus vix addi quidquam posse videatur, me temere acturum esse existimo, si quæ sparsa a variis Auctoribus prolata sunt collata adducam, atque meam hinc inde sententiam subjungam.

---

*a)* ROSEN VON ROSENSTEIN *Anweisung zur Kenntniß und Cur der Kinderkrankheiten*, S. 131.

*b)* Idem l. c. p. 235.

## §. I.

**M**orbus a propria acrimonia specifica vel in corpore suis ex causis nata c), vel per contagium acquisita excitatus, mitiori aut majori febre stipatus, cui circa diem quartum, interdum citius feriusve, exanthemata plerumque supervenient rubra nonnihil elevata d), macula in medio primo minus rubra, postea albescente notata e), quæ in ratione qua crescunt magis alba & pure plena redduntur, atque sensim exsiccata decidunt, a variolis denominatur.

## §. II.

Variolas quidam a *Varis*, qui parvæ in facie maculæ lenticulas æmulantes existunt, derivare conantur. Sed quis sano judicio præditus morbum adeo truculentum varorum diminutivum habebit, quos CELSUS f) tam parvi momenti esse credidit, ut eorum curam inter ineptias merito reponeret? Mihi potius a latino *variare*, quia in cute valde variabiles sunt, & superficiem ejus, ac cuticulam diverfo modo variant, variolæ denominationem desumpsisse videntur. Galli eas *la petite verole* appellant. Apud Græcos & Latinos veteres earum nomen non occurrit. Arabes tamen si adimus, variolas illis sub nomine *Bathr*, vel cum articulo *Albatr*, quod

c) VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAVE Aphorism. Tom. V. pag. 18.

d) UNZERS medicinisches Handbuch. Leipzig 1776. §. 255.

e) TISSOT Avis au peuple, Tom. I. p. 224. Item HELVETIUS idée générale de l'économie animale & observations sur la petite verole, p. 197.

f) Lib. VI. Cap. 5. p. 345.

álii *Bethara*, *Bathor*, *Albathir* exprimunt, cognitas fuisse  
deprehendemus.

### §. III.

Quo autem tempore morbus noster primum in mortales fævire inceperit, magna apud Auctores lis fovetur. Estne mundo coævus; aut saltem antiquos medicinæ cultores *g*) non latuit? vel forte serius exortus est *h*)? Priorum qui sententiam tuentur, ad *HERODOTUM* *i*), *HIPPOCRATEM* *k*), *CELSUM* *l*) provocant; posterioris vero sententiæ patroni, loca Auctorum jam citata male explicata, translata, dubia esse, & variolas minime describere, arbitrantur. Profecto, Auctores citatos variolas in dictis locis non indigitasse, cuilibet eosdem legenti facile apparebit; imo verba allegata non satis clara esse, vel ex solis tot Auctorum eruditissimorum, linguæque græcæ optime gnarorum controversiis haud difficulter eruitur. Cur *HIPPocrates*, qui tot morborum ineptias, imo quisquilias non omisit, morbi adeo funesti accuratam & distinctam non fecit mentionem, si ipsius tempore existebat? si eundem non fugiebat? Cur alii morbum hunc non animadverterunt? Cur eum curare non docuerunt? Quidquid sit de antiquitate hujus morbi, saltem in eo eruditæ satis convenient, quod *RHAZES* primus exactam variolarum historiam nobis reliquerit *m*);

*g*) HAHN *variol. antiquit.* nunc primum e græcis cruta. Brigæ 1733. in 4.

*h*) WERLHOF *disquisit. med. & philolog. de variol. & anthrac.* Hannov. 1735. in 4.

*i*) Vid. idem Lib. cit. p. 27.

*k*) Lib. I. *Epid. agrot.* 2. Item *Epid. Lib. II. Sect. I. n. 7.*

*l*) *De Medicina* Lib. V. Cap. 28. n. 18.

*m*) FREIND *Hist. of physik*, Tom. 2. p. 190.

quod quoque AVICENNA *n)* non male eas descripsérunt; quod igitur Arabes primi de iisdem clare locuti sint. Ut ante Arabes a nemine morbum nostrum bene invenimus descriptum: ita quoque eundem ante Mahumedis tempora alicubi grassatum esse, a nemine edocemur. Mahumidis autem temporibus morbum nostrum apud Saracenos *o)* primum, & postea apud Arabes apparuisse, nec non post bella cum Saracenis gesta per Europam late dispersum esse *p)*, historicorum fide probatur. Ita quoque saeculo septimo ex Arabia in Aegyptum; & saeculo octavo in Hispaniam variolæ venisse dicuntur *q)*. Anno 1270 in Anglia variolarum morbus erat notissimus *r)*; atque, nisi prius, saltem anno 1578 Suecia variolis vexabatur *s)*. Ex Europa denique in Americani variolæ transmigrasse leguntur *t)*. Omnibus itaque rite perpensis non est probabile, variolarum morbum mundo fuisse coævum; sed potius credendum est, eundem serius demum, ob peculiares forte in telluris visceribus alterationes, aëris mutationes & vitæ genus mutatum fuisse extortum, atque aliorum exanthematicorum more aliquando rursus esse cessaturum *u)*.

#### §. IV.

Variolarum morbus in prima ejus invasione ab aliis morbis exanthematicis difficillime distinguendus est. Si tamen ægrotans variolis nondum laboravit; si variolæ

*n)* LECLERC *Histoire de la Medecine* pag. 776.

*o)* FREIND *Hifor. med.* p. 274.

*p)* MEAD *de variol. & morbill.* p. 8.

*q)* ROSENSTEIN Lib. cit. p. 131.

*r)* HILLARY *on the small pox* p. 21. 22.

*s)* ROSENSTEIN l. c.

*t)* WERLHOF *de variol. & anthrac.* p. 15.

*u)* SYDENHAM *Oper. med.* Genov. 1723. p. 149.

○ ○ ○

epidemice grassantur; si morbus incipit cum languore  
sine nota causa, & horripilatione, cui succedit calor,  
pulsus febrilis, dolor capitis, humborum, & scrobiculi  
cordis, suspitia; si superveniunt oculorum tumor, la-  
crymarum non adeo, velut in morbillis, urentium ef-  
fluxus, nausea, vomitus, inquietudo, somnolentia, at-  
que in infantibus insultus epileptici; si symptomata hæc  
per aliquot dies durant, variolas imminent cum proba-  
bilitate statuitur x). Variolæ vero, si jam eruperunt, a  
petechiis & exanthemate scarlatino, elevatione; a mor-  
billis, majore regularitate & macula in medio albescente;  
a purpura tandem alba & rubra maculis majoribus y)  
evidenter differunt.

S. V.

Ratione varia, qua morbus noster consideratur, a  
pathologis varie dividitur. Alias enim est *verus*; alias  
*nothus*, seu *spurius*; uterque sine; aut cum variolis. Il-  
lius variolæ cum descriptione supra data convenient;  
hujus vero pustulæ vel lapidis instar sunt induratae, &  
*duræ ovales* appellantur z); vel pellucidæ & aqua plenæ.  
Considerata vehementia jam est benignus; jam malignus.  
Ille confuetum servat typum; hic vehementioribus &  
inconuentis symptomatis stipatus est, quare ab aliqui-  
bus *irregularis* quoque nuncupatur. Morbus etiam no-  
ster nunc est *simplex*, si sit solitarius; nunc *complicatus*,  
si cum alio adhuc morbo combinatus existit. Quando  
plures in eodem loco simul corripit, audit *epidemicus*;  
ubi e contrario unum alterumve invadens *sporadici*

---

x) Vid. ROSENSTEIN Lib. cit. p. 138. Item BOERHAAVE *Apho-*  
*rism.* p. 285. UNZER Lib. loc. cit.

y) UNZER Lib. loc. cit.

z) WERLHOF Lib. cit. pag. 11.

nomine venit. Ipsæ denique variolæ, quæ post eruptio-  
nem separata inter se spatia relinquunt, *distinctarum vel*  
*discretarum* titulo insigniantur; in quibus autem contra-  
rium evenire observamus, *confluentes* salutantur.

## §. VI.

Variolarum decursus in quatuor ab auctoribus sta-  
dia distincta distribuitur. Primum usque ad eruptionis  
tempus perdurat, & ab *invasione* denominatur; alterum  
eruptione incipiente incipit, hac facta finitur, & *era-  
ptionis* stadium absolvit; tertium, sub quo variolæ ma-  
gis magisque crescunt & pure implentur, ad pustula-  
rum exlicationem usque sese extendit, atque *suppura-  
torium* appellatur; quartum denique cum exsiccatione  
capit initium, desquamatione peracta cessat, & ab *ex-  
siccando* nomen obtinuit a).

## §. VII.

Quæ in prima morbi periodo contingunt sympto-  
mata, plerique §. IV. dicta sunt. Circa quartum autem  
ab invasione diemi febris fit mitior, atque hinc inde par-  
væ jam maculæ rubræ se manifestant. Maculæ hæ appar-  
ent primo in facie, plerumque in labio superiore &  
nasi latere; postea etiam in reliquis faciei partibus; in  
pectore dein; atque tandem in lumbis & extremitatibus.  
In abdomine, in manuum volac pedum planta ob cutis  
sine dubio duritiem majorem rarius in conspectum pro-  
deunt. Maculæ uti sensim sensimque multiplicantur,  
ita quoque magis magisque crescunt & altitudine &  
latitudine. Apex ab initio cum pallore rubet, atque

a) VON STOERCK medicinisch-practischer Unterricht für Feld- und Landwundärzte, Th. I. S. 243.

magis continuo albescit; dum interim basis intensam refert rubedinem; imo in magno variolarum numero cutis quoque intermedia rubet, dolet & tumet, nec non palpebræ ita sœpe intumescunt, ut vix quœant aperiri. In qua ratione variolæ erumpunt & elevantur, in eadem ratione febris & vomitus immixtūuntur; atque eruptione ad finem perducta, utrumque cessat. Alteri huic periodo dies septimus aut octavus finem sœpissime imponit.

### §. VIII.

Die septimo pustulæ vergunt in suppurationem; elevantur & extenduntur; pure repletur; maturescunt ac flavescent; in fundo rubent, & dolent; cutis variolis interjecta turgida quoque & rubra est; nova nunc oritur febris *suppuratoria dicta b)*; calor major, somnus inquietus, sitis, dolor tendens in omnibus partibus variolis tectis, & in adultis salivatio supervenient. Omnia hæc in diem usque decimum vel undecimum perdurant, quo tempore variolæ pure jam turgidæ sensim marcescent, cutis tumor, tensio, dolor, reliquaque evanescunt, & quartum morbi stadium ingreditur.

### §. IX.

Ordine, quo facta est eruptio & suppuration, eodem exsiccatio etiam contingit, atque die decimo quarto, sexto, aut octavo plerumque finita est. Omni, quo exsiccatio durat, tempore non raro evenit, ut puris quædam portio resorpta sanguini iterum misceatur; atque tunc tertia nascitur febris, quam cum secunda nonnulli male confundunt c). Confusionem istam minime miror,

b) ROSENSTEIN Lib. cit. p. 141.

c) Idem L. l. c.



Cum tertia saepe incipiat, antequam secunda penitus cef-  
saverit; in valde benignis autem variolis nec secunda,  
nec tertia possit observari.

## §. X.

Vidimus hucusque morbi benigni decursum: longe  
aliter autem res se habet in variolis malignis, quas ob  
symptomatum quorundam diversitatem HELVETIUS in sex  
species non male separat, & cujusvis speciei symptomata  
seorsim allegat d). Haec scilicet die jam tertio non sensim  
sed subito in magna copia simul ita erumpunt, ut nasum  
non raro obstruant, & ob majorem in collo copiam de-  
glutitionis negotio ponant obstaculum. Non in facie,  
sed aliis potius in locis primo fere ostendunt. In facie  
sunt parvae & tamen nonnunquam confluunt, aut quia  
numero sunt plures, aut quia in majori vicinia collocatae  
gregatim quasi propullulant. Difficilius elevantur; dif-  
ficilius implentur, & ad maturitatem pervenire vix pos-  
sunt. Die duodecimo si unam aut alteram aperis, non  
pus, sed acrem serosam materiem effluere videbis. Pu-  
stularum color nonnunquam est viridis, violaceus, aut  
nigrescens. Non raro cum vasorum erosionibus, haemoptosi,  
petechiis, pleuritide sunt combinatae. Febris  
ante eruptionem cum reliquis, quibus stipatur, sympto-  
matibus est vehementissima; neque post eruptionem de-  
finit. Febris suppurratoria non gradatim sed subito ægrotan-  
tem invadit; tertia a secunda vix distingueda est;  
atque in secunda jam periodo salivatio se monstrat. Sa-  
liva eam induit tenacitatem, ut effluere amplius nequeat:  
imminet suffocatio.

## §. XI.

d) Lib. cit. p. 20, 204, 207.

9

§. XI.

Quæ in externa cutis superficie evenire narravimus, ea & in partibus internis, in pulmone, aspera arteria, œsophago, ventriculo, intestinis, vesica urinaria, vagina & utero fieri debere, ratiocinio & experientia evictum est e). Loca enim dicta hæc variolis itidem obincidentur & in confluentibus quidem ac malignis in majore id copia contingit; imo si eadem male judicantur, inflammationem internam in necroſin viscerum abire, cadaverum ſectiones plus una vice manifestarunt.

§. XII.

Variolarum morbus casu vel studio facililime contrahitur 1° conuerſatione cum ægrotantibus variolis affectis, ubi acris variolarum materies vel cum aëre ab exhalationibus ægri veneno hoc gravido os, nares, pulmones, œsophagum, ventriculum & intestina ingrediens reſorbetur f), vel dum ægrum, vefimenta ejus, lectorum &c. tangimus, cūti nostræ adhæret & a venis reſorbentibus excipitur g); 2°. vefitum & linteamentorum uſu, quæ morbo varioloſo decumbenti quondam inſer- viverunt h); 3° venam ſecando instrumento, quo antea variolas alicui aperuimus, vel tali venam ſecuimus i); 4° emendo k), ubi moneta pure imbuta extremitatibus

e) Conf. BONET. *Sepulchret. s. anatom. præt.* Lib. IV. Sect. I.  
Obſerv. 60. ETTMÜLLER *Oper. med.* Tom. II. p. 346. SCHEN-  
OKIUS *Obſerv. med.* Lib. VI. de morb. epidem. obſervat. BOER-  
HAAVE Lib. cit. pag. 291.

f) BOERHAAVE Lib. cit. p. 285.

g) KIRCKPATRICK *the Analysis of inoculation*, Ed. 2. p. 21.

h) WERLHOF Lib. cit. pag. 16, 17. ill. notis.

i) KIRCKPATRICK Lib. cit. p. 167, 168.

k) ROSENSTEIN Lib. cit. p. 136.

applicatur; aut cutis acu puncta variolarum pure inficiatur; 5° Chinensium inoculatione *l)*, qui aut pus recens variolosum, aut crustulas exsiccatas addito paucō mōscho lanugine bombacina excipiunt & inde turundam formant, quam naribus committunt; 6° inoculatione vulgari, ubi lanceola pure recenti madefacta epidernis in utroque brachio elevatur, cutis nonnihil sub extractione lāeditur, & vulnusculum compressum deligatur; aut ubi filum per pus tractum *m*, sive pulvis ex variolis exsiccatis præparatus *n)* vel cutim inter & epidermidem deponitur vel leni facto vulnusculo immittitur & locus deligatur; 7° denique omnibus iis modis, quibus aliquid materiei variolosæ corpus hominis ingreditur, qui hoc morbo antea nūnquam laboravit.

### §. XIII.

Per contagium itaque variolæ se se multiplicare conspiciuntur. An vero etiam sine contagio ab aliis causis possunt excitari? Profecto alias morbos contagiosos a manifestis primo causis oriri, antequam contagium suum possint disseminare, satis habemus compertum. Nonne scorbutus ab aëris constitutione humida, ab assumptis minus bene in naturam nostram mutatis & reliquis adjunctis, quibus necessario humorum depravatio corpori inducitur, primo evidenter nascitur, antequam contagio suo lādere possit *o)*? Nonne dysenteria ideo in castis plerumque oritur, quia milites in humido decumbunt loco? quia absque tentorib; absque reliquis iisdem

*l)* Lettres édifi. & curieus. Tom. XX. pag. 317, 318.  
*m)* Acad. de Chirurg. Tom. 2. p. 556.  
*n)* STOERCK Lib. cit. pag. 276.  
*o)* VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAVII Aphorism. Tom. III.  
 §. 4150, 1151.

necessariis in ipso conflictus loco nonnunquam pernoctant p)? Nonne certæ docuerunt observationes, squalorem carceris, in quo miseri ære non renovato diu manere coguntur; nimiam nosocomiorum plenitudinem, & imprimis, si unus, pluresve ægrotantium gangræna laborent, producere febrim malignam, imo fere pestilentialem, quæ a tali causa nata vero contagio aliis hominibus communicatur, cæteroquin sanissimis q)? Aut forte prima rabies canina, vel alias morbus contagiosus etiam contagio debet originem? Annon manifesta est contradic̄tio, primam veneris luem fuisse primam, & tamen ab antiquiore tali lue excitatam? Si vero reliqui morbi contagiosi necessario sine contagio primo nati sint, & adhucdum ita nascantur: quid impedit, quo minus etiam variolarum lues, uti a causis suis determinatis sine contagio ab initio orta est, ita nostris etiam temporibus hoc modo subinde nascatur?

## S. XIV.

De stabilienda autem morbi nostri causa auctores valde dissentunt. Alii enim in illam sanguinis partem, quæ post foetus exclusionem in vasis umbilicalibus remanet, atque acrimonia sua totam sanguinis massam inficere debet r), culpam rejiciunt. Arabes, aliique sanguini materno s), quo foetus in utero alitur, causam tentant adscribere. Cur vero variolæ mundo non sunt coœvæ? cur non statim post partum oriuntur? cur non ubivis locorum grassantur t)? cur adultos sæpe &

p) PRINGLE *Diseases of the army*, pag. 24. & rel.

q) *Idem of Hopital ad ingl. fevers* pag. 11.

r) Conf. *Annal. phys. med. Vratislav. Tent. 30.* p. 488. ubi multifarias, mirasque alias causas invenies.

s) HOFFMANN *Med. ration. system.* Tom. IV. Part. IV. pag. 144.

t) Vid. SCHULZ *Dissert. de variol.* 1736.

fenes afficiunt? Alii a lacte materni acido, vel lacte corrupto variolas originem trahere autumant. Cur vero non s<sup>e</sup>pius, quam una vice a lacte corrupto easdem nasci deprehendimus? Præter matrem vero multi in patrem culpam conjiciunt, cum semine paterno ad natos variolarum contagium propagari asseverantes <sup>u</sup>). Capsulae etiam atrabiliariæ in infantibus capaces & liquido impletæ a non paucis in scenam provocantur, dum in iisdem pessimam hanc causam delitescere dicunt, quam dein, si sanguini commiscetur, affectum hunc in actum deducere credunt <sup>x</sup>). Alii, se acu rem tetigisse, sibi persuadent, quando variolarum virus a fermento stercoreo in intestinulo vermiciformi hospitante provenire enarrant. Sunt quoque, qui vermis ovulis ac excrementis suis sanguinem conspurcantibus effectum huncce attribuunt <sup>y</sup>). In aëre alii causam quærentes certam quandam ejusdem diathesin accusant, sibique aërem variis putridis ac fermentantibus exhalationibus infectum poros corporis nostri, os, naresve subire & miasmate suo sanguinis mas-  
fam imbuere fingunt. Multi ad astra configiunt, atque in syderum effluxu maligno, vel in corpus humanum influxu morbi hujus causam se invenisse arbitrantur. HANNIUS eo processit, ut variolas agnosceret tanquam speciem evolutionis corporis humani, per quam nova va-  
scula sanguinea in cute prodeant, quæ convoluta haec-  
nus latuerant, nuncque evoluta functionibus suis exer-  
cendas aptiora reddantur <sup>z</sup>). Atque hæ sunt præcipuae de variolarum causa ab auctoribus in medium prolatæ

<sup>u</sup>) SIDOIRE de variol. & morbill. p. 160.

<sup>x</sup>) VIOLANTE de variol. & morbill. p. 22.

<sup>y</sup>) Vid. Annal. Vratislav. loc. cit. item DRELINCURTII *Dissert.* de variol. & morbill. quæ SIDOIRE tractatui annexa est, p. 286.

<sup>z</sup>) *Variolarum ratio &c.* Vratislaviae 1751. pag. 14.

sententiae, quibus singulis refutandis, ne longior fiam,  
non immorabor.

§. XV.

Quidnam vero de morbi nostri causa statuendum? Cum quisvis suo indulgeat ingenio, meam hac super re opinionem declarabo. Acrimoniam quidem morbo hoc durante cum humoribus mixtam esse, nemo principiis imbutus facile inficiabitur. Quis enim sub quavis morbi periodo non videt evidentia acrimonie signa & effectus? Cur minimum puris variolosi vestigium febrem in homine sano potest excitare, cur eadem febris sequitur, quando modis fere incredibilibus antea indicatis contagio vel miasmate morbus alicui communicatur, nisi humores reddantur acres? nisi cor acrimonia hac solito magis stimuletur? Nonne fortis materiei transpirabilis odor; cutis inflammatio illo adhuc tempore orta, ubi materies haec motu circulatorio subacta e corpore deberet eliminari; foveæ a puris erosione in cute relictae; partium internarum ab acrimonia retrogressa natæ inflammationes; vasorum erosiones; sanguinis cum urina & fæcibus miscela; convulsiones; motus epileptici, aliaque morbi phænomena acrimoniam egregie confirmant? Inest igitur morbo varioloso durante in corpore acrimonia, acrimonia eo notabilior, quo magis a reliquis humorum acrimoniis sepe distinguit; quæ nullo alio ac varioloso in morbo observatur a); quæ in homine variolis nunquam affecto motu quasi fermentatio sepe ita multiplicat, ut eandem, quam antea habuit, vim retineat b), &, si semel adfuerit, nunquam revertatur c).

a) VAN SWIETEN *Comment. in BOERHAAVII Aphorism.* Tom. V.  
pag. 31.

b) KIRKPATRICK Lib. cit. pag. 132.

c) MEAD *de variol. & morbill.* pag. 66. & 74.

Si quæris, ad quamnam acrimoniae speciem materies hæc acris fit demandanda: meam tibi ignorantiam ingenue malo fateri, quan nescio quam hypothesin adducendo tecum suaviter delirare; nec magni adeo in cura momenti res est acrimoniae istius speciem accurate nosse, cum generalibus acrīum antidotis nihilominus feliciter supereretur. Licet autem acris isthæc materies naturam suam etiamnum nos celet; tamen, si ubique in corpore dispersa est, immediatam & proximam morbi variolosi causam revera constituit, qua præfente morbus adest, qua eliminata morbus etiam cessat, & a qua sola omnia morbi phænomena dependent. Hæc enim a quacunque causa in humoribus nata cor validius stimulando in primo morbi stadio circulationem adauget; yafa minima ad contractionem spasmodicam sollicitat; frigus, caloremque proinde inducit; ad cerebrum perveniens capitis facit dolorem, somnolentiam atque in tenerioribus insultus epilepticos; in ventriculo nauseam movet, & vomitum; hæc in intestinis diarrhæam; in renibus urinam fere decolorēt aut sanguine tintam, atque in cute inflammatiunculas efficit; hæc in 3° stadio inflammatiuncularum exitum determinat; ad interiora regressa metafasibus præbet materiam; febrim secundam & tertiam dimetitur; atque tandem post exsiccationem extra activitatem posita morbo finem imponit.

#### §. XVI.

Causa humores ad acrimoniam variolosam prædisponens, quia veneni variolosi natura hucusque incognita est, cum certitudine nequit determinari; probabilitatis tamen species est, materiem hanc acrem in humoribus jam materialiter præexistere d), atque, dum morbus

d) Vid. HELVETIUS Lib. cit. p. 216.

erumpit, a causis suis determinatis tantummodo evolvi, extricari, denudari, fere non aliter, ac ex eodem vegetabilium succo dulci pro diverso motus intestini gradu vinum, acetum, acidum, vappidum, vel putridum solet produci. Hic acrimoniæ fomes nobis quoque videatur esse congenitus, licet ortus ejus explicatio hactenus sit problema. Si enim post nativitatem a rerum non naturalium vitio in corpore gigni potest, cur non, cum causæ hæ sèpius agant, aliorum morborum exemplo sèpius eundem hominem variolæ affligunt? Cur in epidemias inter tot hominum millia, qui ægris morbo hoc laborantibus assistunt, aliqui saltem non dantur dispositi, qui bis variolis veris infestantur, si hujus morbi prædispositio, ut in aliis morbis contingit, a causis accidentibus post lucis aspectum possit generari?

### §. XVII.

Causis occasionalibus omnia ea annumerantur, quibus dictus acrimoniæ fomes accenditur & variolarum virus explicatur. In determinandis vero hujusmodi causis, si de variolis sine contagio natis sermo sit, aqua omnino hæret, & tantummodo ad generales acrimoniæ causas configiendum est. Sed nostris in regionibus morbum nostrum ita oriri rarissime animadvertisimus. Postquam enim in omni Europa, aliisque mundi plagis virus suum semel multiplicavit, hocque vel per anni tempus efficaciam retinet, & facili negotio per homines & pecora, imo merces de regione in regionem migrat; in vita hominum tam familiari variolarum lues raro orientur, quin contagii suspicio moveatur. Atque in hoc casu, ipsam variolosam materiem corpori applicatam fermenti vice fungentem latentis in humoribus fomitis explicationi ansam præbere, clarissime peripscimus; diversos etiam, quibus hoc contingit, modos §. XII. al-

legavimus, id tantum addo, quod contagiosa isthæc mæteries facilius infantes, juniores, sexum sequiorem, & habitu corporis molli aut mucoso præditos afficiat, quam adultos, viros, cute dura & parum resorbente donatos. Facilius quoque tragœdiam ludet vere & autumno, quam æstate & hyeme; aër humidus porro & ventosus præsicco & quiescente contagio magis arridet; nec culpa carent animi affectus tristiores, esculenta & potulenta, multaque alia, quæ vel materiei contagiosæ in corpus humanum ingressum facilitant, vel domicilium præbent, ut radices agere & actionem incipere possit.

## S. XVIII.

In variolis epidemice grassantibus ab initio malignitatem vel benignitatem prædicere valde difficile est: id tamen experientia confirmatum est, quod epidemia variolosa ab initio maligna versus finem fiat mitior; & mitior ab initio majori plerumque malignitate sœviat e) versus finem. Num vero hujus vel illius hominis variolæ benignæ aut malignæ sint futuræ, ex ætate, sexu, temperamento, vitæ genere, reliquisque adjunctis concludimus.

Homo mediocriter pinguis, cuius sanguis est blandus, cutis mollis & alba, color faciei vividus, aspectus hilaris, oculorum splendor gratus & minime scintillans non sine ratione benignas sibi variolas potest polliceri; ubi e contrario macilentus, acri, crassa, dura & nigrescente cute circumdatus, capillis nigris & oculis tenebris ac concavis, nec non voce gravi & rauca præditus pejorem morbi decursum pertimescat.

Si primæ viæ invasionis tempore a cruditatibus sunt liberæ

e) Fortsættning of provincial-medicorum beraettelse p. 278,

liberæ eventus cæteris paribus erit prosperior; ubi in statu contrario omnia in pejus ruent.

In mitioris epidemiæ principio minus subest periculi; quod autem tempore quodam elapsò insigniter crescit; ita quoque epidemia ab initio malignitatem præ se ferens felicem morbi eventum reddet dubium atque nonnisi epidemia ad finem vergente spes ægris major aſ fulgebit.

Efus carnium frequens, cibi aut nimium, aut pa- rum nutrientes, vitia in assumendo cibo & potu, in vi- giliis, aliisque rebus commissa, morbi prægressi finistrum morbi eventum solent indicare.

Nec periculo carent gravidæ & puerperæ variolis correptæ, uti & illi, qui scabie vel alio quoconque morbo exanthematico & qualicunque humorum depravatione laborant.

Febres intermittentes variolis quidem præsentibus non raro cessant; sed etiam variolarum morbo finito sa- piſſime redire conspicuntur.

In universum tandem, quo morbus est magis regu- laris, humores blandiores, nec quantitate peccantes, quo circulatio liberior, transpiratio facilior, & minor irritabilitatis excessus; eo minus funestus erit variolarum exitus: & vice versa, quo febris est major, transpiratio difficilior, morbus a consueto tramite magis recedit; quo gradus acrimoniae auctior, & excessus irritabilitatis major; eo manifestiore cum periculo morbus variolosus est consociatus.

### §. XIX.

Non mirum igitur, adulst, hystericas, hypochondriacos, plethoricos, cacochymicos & infâstes usque ad quartum ætatis annum, præ junioribus ætate septimum in- ter & decimum quintum annum media constitutis, humo-

C

ribus nec quantitate nec qualitate peccantibus instructis, neque adeo irritabilibus, periculo esse propiores, præser-tim si in primo stadio descripta symptomata sint feroci-  
ra; si infantes in extremitatibus ad attactum tremant; odor oris foetidus, dorsi, lumborum & capitis dolor  
vehemens; diarrhoea, & in ipsa eruptione pruritus jam  
appareant. Nec difficulter quoque perspicitur, quod  
sanguis e pectore, ano atque cum urina secedens; pete-  
chia supervenientes; variola in facie parvæ & applana-  
tæ, sovea & punto nigro cum basi intensius aut palli-  
dius rubra notatae, in tertia periodo non dolentes, mol-  
les & vacuae; fæces nigræ pure & sanguinæ quasi mixtae  
cum abdominis tumore; arteriarum temporalium pulsus  
magnus & durus, si in manibus est debilis; tumor faciei  
subito evanescens & in manibus statim non revertens;  
salivatio cessans; cutis variolas inter & earum fundum  
pallor; angustia pectoris, vox mutata & oblivio, mor-  
tis plerumque signa evadant probabilia, nisi quandoque  
docta manus ægros hosce auxilio celeri ex orci quasi  
faucibus adhuc redimat.

#### §. XX.

Exposita variolarum diagnosi & prognosi, supereft,  
ut medendi methodum paucis anne&stamus. Cum mörbus  
in prima periodo nihil aliud sit, quam febris ab acrimo-  
nia variolosa ex humoribus se evolvente excitata, quæ  
pro varia humorum diathesi & materiei acriis quantitate  
jam mitis, jam acuta inflammatoria, jamque etiam pu-  
trida f) esse potest: præcipua indicatio eo collimat, ut

f) Non probabile est, acrimoniam variolosam sua natura vi san-  
guinem inspissandi donatam esse; imo dissolvere potius, quam  
inspissare sanguinem videtur; siue, ut frequens observatio est,  
sequitur sanguinis inspissatio, hæc humorum dispositioni & febri-

acrimoniam temperemus, mitigemus, enervemus; ut febrim, qua materies acris subigitur & e corpore eliminatur, prudenter dirigamus, & naturae vires excedentes compescamus, languentes vero excitemus; ut denique mala, quæ possunt oriri, symptomata, sinistrasque inorbi sequelas arceamus.

§. XXI.

Acrimonia potu copioso aquoso, demulcente, leniter farinoso, decocto hordei cum subquadrupla lactis parte mixto, lâcte ebutyrato, fero lactis, aqua syrupo rubi idæi, ribesiorum, altheæ, aloive dulcificata, infuso herbarum mucilaginosarum, enematibus ex similibus paratis atque febris actione ita nonnunquam infringitur, temperatur, mutatur, ut fere omnis per excretionum vias eliminetur, & paucissimæ tantum pustulæ eaque benigniores in cute nascantur, quid? quod aliquando nulla omnino exanthemata g) observentur.

§. XXII.

Febris nimis vehemens inflammatoriae indolis mitigatur 1° venæsectione h), quæ pro re nata præcipue, si arteriaæ temporales vehementer pulsent, dolor capitidis sit ingens, & oculi scintillantes; si insultus epileptici instent, aut jam adsint, non semel, sed repetitis etiam vicibus instituenda est. 2° Cucurbitulis cum scarificatione in cervice & furis. 3° Primas vias a forditibus liberas servando. Hunc in finem post factam primo die venæsectionem statim enema ex aqua tepida, oleo olivarum, melle & pauco nitro paratum injicitur & singulis diebus, us

a) acrimonia excitata tribuenda est. Vid. VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAVE Aphorism. Tom. V. p. 46.

g) Idem Lib. cit. pag. 55, 68.

que ad eruptionis tempus aliquoties iteratur. Si ventriculus est turgidus; borborygmi in intestinis se produnt; & diarrhoea versus finem hujus periodi nocitura *i*) pertimescenda est: tartaro emetico cum cremore tartari trituratione bene immixto successive, donec effectus sequatur, propinato alvus ducatur *k*). Vomitoria hic plerumque sunt superflua, cum sub ortu hujus morbi vomitu sponte nato ægri satis fatigentur; sola aqua tepida, dum vomitus oritur, tamdiu superbibatur, donec haec pura evomatur. 4° Cibis refrigerantibus levibus & potu copioso antea descripto. 5° Medicamentis refrigerantibus leyibus ex nitro & saccharo ac similibus confectis. 6° Cubili minus calido. 7° Lecti velamine leviore. 8° Lecti, aerisque in cubiculo mutatione. 9° Si ab initio morbi efficiimus, ut ægrotans, quantum fieri potest, lectum evitet & aere libero fruatur *l*), nisi quædam cæli inclemensia sit.

### §. XXIII.

In febre nimis debili, quæ tamen rârissima est, languentes naturæ vires erigimus 1° cubiculo magis calefacto; 2° stratis lecti calidioribus; 3° cibis nonnihil meracioribus atque medicamentis parum stimulantibus; 4° epispasticis. Si febris ad patridam naturam inclinet: ad antisepтика veluti ad sacram anchoram confugiendam est.

### §. XXIV.

Symptomata, quæ in primo stadio occurrent & ægrum maxime molestant, sunt vomitus, convulsiones,

*h)* HELVETIUS Lib. cit. p. 273. & seq.

*i)* Abhandlungen der naturforschenden Gesellschaft in Zürich. Band 1. p. 174.

*k)* ROSENSTEIN Lib. cit. p. 172, 174.

*l)* STOERCK Lib. cit. p. 257.

diarrhoea, hæmorrhagia narium & insultus epileptici. Vomitus ab initio utilis est, & aquam tepidam bibendo facilitatur; si vero sit nimius, mentha cum croco vel sacco inclusa, vel ex vino in vase clauso decocta & expressa; aut etiam cataplasma ex pane, mentha, croco, aceto vel vino, coctione & miscela factum lintei ope ventriculo imponitur.

Convulsionibus succurrimus iisdem remediis, quibus §. XXII. febrim imminuendam esse monuimus; enema refrigerans & cucurbitula cum scarificatione in cervice <sup>m)</sup> sape sufficiunt. Interdum in infantibus hæmorrhagia narium scopo huic satisfacit.

Diarrhoea, nisi eruptionis tempore ingrediatur, aut nimis debilitet, vix nocet. Sin autem noceret, vel emulsione ex gummi arabico & amygdalis dulcibus parata; vel enemate ex lacte, theriaca, & mucilaginoso quodam decocto constante superatur. Interdum diarrhoea in hoc stadio est critica <sup>n)</sup>, id quod ex tempore, quo accedit, & ægri levamine colligitur; atque tunc adeo non cohimbenda est, ut potius materiei liberior per viam a natura monstratam exitus medicamentis sit conciliandus.

Eadem cum moderata narium hæmorrhagia res est <sup>o)</sup>, quæ capitis dolores tollit, convulsiones finit, & febris insolentiam domat. Major vero talis hæmorrhagia quovis adstringente remedio naso applicato sistetur.

Insultus epileptici & præcaventur & curantur venæctione, enematibus, vomitorio <sup>p)</sup> atque omnibus iis remediis, quæ motum nervorum sedant, atque humorum versus caput impetum imminuunt.

<sup>m)</sup> BAGLIV. *Oper. omn. med. praet.* p. 61.

<sup>n)</sup> Conf. KIRKPATRICK Lib. cit. p. 78. item HALLER *Opusc. min.* Tom. 3. p. 352.

<sup>o)</sup> HALLER *Element. phys.* Tom. 5. p. 130.

<sup>p)</sup> ROSENSTEIN Lib. cit. p. 183.

## §. XXV.

Ne vero facies, oculi, nasus atque collum internum majore variolarum numero corripiantur, efficiimus omnibus iis, quibus materies variolosa ad alia loca in majore quantitate allicitur. Huc pertinet 1º venæfæctio & curcurbitulæ in extremitatibus applicatae; 2º iisdem in locis adhibita epispastica; 3º cutis emollitio in partibus remotoribus *q)*; major caloris in extremitatibus conservatio, atque 5º capitis rasio. Oculos panniculo ante eos pendente & camphora imbuto; nasum superimposito emplastro de ranis cum mercurio *r)* contra variolas defendinus.

## §. XXVI.

Quando morbus primum stadium absolvit, secundum ingreditur; ubi pustularum evenit eruptio. In hac periodo præcipua habenda est cura, ut eruptio sit facilis, atque præcavendum, ne materies ad cutim translata ad interiora regrediatur. Si nulla in consueta phænomena appearant: solo potu indicato copiose assumpto primus scopus obtinetur; si vero aut ob majorem febris vehementiam, aut propter languentes naturæ vires eruptio fiat difficilis: in primo casu ad febris imminutionem supra laudata remedia adhibenda sunt; in altero autem casu lenia sudorifera non spernendos edent effectus. Pone malignam, putridam humorum diathesin causam esse, cur eruptio difficilius succedat: & in acidis mineralibus cum potulentis admixtis, & cortice peruviano addito citri & aurantiorum cortice condito, cum syrupo aurantiorum & aqua quadam grata destillata in mixturæ formam redacto, dummodo æger assumere queat, auxi-

*q)* BAGLIV. L. I. c.

*r)* Abhandl. der naturforsch. Gesellsch. in Zürich, Tom. 3. p. 53.

lium possibile invenies. Decoctum corticis sub clysmatis specie ano injectum felicem quoque successum videtur polliceri. Deliriis, convolutionibus, pleuritidi, peripneumoniæ, atque alvi fluxui quæ remedia opponenda sint, ex dictis facile colligitur.

### S. XXVII.

In tertia periodo, ubi pustulæ pure repletur, odo rem spargunt, atque ardorem <sup>s)</sup> creant, pulsu nec excedente, nec imminuto, multum bibatur, & reliqua naturæ committantur; si vero ob cutim tensam, nervos acrimonia stimulatos, & transpirationem aliqualiter impeditam febris suppuratoria nascatur: potus copiosus spiritu vitrioli ad gratam aciditatem imbutus, atque camphora <sup>t)</sup> votis respondebunt; imo posses hic quoque pustularum dissectione materiei exitum efficere. Non raro contingit, ut per vias urinarias, glandulas salivales, & tractum intestinalem critica fiat evacuatio, ubi idoneis tunc remedii naturæ succurrentum est. Animi patemata, frigus, atque cruditates in primis viis cane angueque pejus evitentur, ne materiei ad interiora retrogressio quam maxime abominanda sequatur. Sin vero tamen ejusmodi quidquam acciderit: mentis placatio, aër moderatus, potus copiosus, atque primarum viarum depuratio morbo benigno medebuntur; in maligno vero fere semper cortex peruvianus unicum ac princeps remedium constituit.

### S. XXVII.

Nec in quarto stadio, si in omnibus consuetus servatur ordo, medico opus est. Fac vero, a pure resorpto

<sup>s)</sup> HALLER *Opusc. min.* Tom. 3. p. 356.

<sup>t)</sup> Idem Lib. cit. pag. 350.

novam oriri febri, omni tunc opera nitendum est, ut viæ excretoriæ serventur liberæ; & præcaveantur omnes ad partes nobiliores metastases, laxando cutim fomentis emollientibus tepidis assiduo & laboriose renovatis; ablutione & gargarismo oris, fauciumque; potu large aperiente & putredini resistente; clysmate emolliente, & laxante quotidie aliquoties injecto; victu ex decocto avenæ, hordei, acidis condito; vini meracissimi moderato subinde usu; atque dato simul contra enormes impetus opio u). Si abscessus in parte quadam percipiatur, cito puri facta incisione exitus concilietur. Si morbus est vehementissimus; si loco puris ichor adeat gangrænosus; si tota cutis variolis non tam obsessa, quam tecta est: plerumque non amplius est in medico, relevetur ut æger; sed brevi variolarum tragœdia morte finietur. Nunc quidem de remediiis contra variolas præservativis, nec non de variolarum inoculatione dicendum adhuc foret: verum cum temporis habenda sit ratio, vela malo contrahere.

u) BOERHAAVE *Aphorism.* §. 1402.

## T A N T U M.



VD18

ULB Halle  
008 342 954

3





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches      Centimetres

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

TATIO MEDICA  
DE  
ARUM MORBO  
QUAM  
FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU  
UTORATENSIMUM UNIVERSITATE  
LICENTIA  
M DOCTORIS  
ITE OBTINENDI  
ABRIS A. R. S. MDCCCLXXXIV.

ICE DEFENDET  
IEL TITON

DOLANUS.

H. L. Q. C.

is JOH. HENRICI HEITZII, Univ. Typogr.

